

consecratione basilicæ, vel de quibuscunque causis ad idem monasterium pertinentibus, audere in qualibet specie exenii loco quidquam accipere, neque cumdem abbatem pro ordinatione sua aliquid dare presumere, ne hac occasione, ea quæ a fidelibus pio loco offeruntur, consumantur. Neque episcopus civitatis ipsius parochiæ nisi ab abbatore ipsius monasterii invitatus, ibidem publicas missas agat, neque stationes in eodem cœnobio indicat, ne servorum Dei quies quoquomodo populari conventu perturbari valeat, neque paratas, aut mansionaticos exinde presumat exigere. Susceptionem autem fiducium et religiosorum virorum atque beneficentiam, quam jubet Apostolus cunctis exhibendam pro possibilitate loci et facultatum, non modo ibidem fieri [non] denegamus, verum etiam suademos : sed et modus in numero congregationis adeo conservetur, ut nec pluralitas penuriam, nec paucitas inhabitantium destitutionem loci inducere valeat. Privilegium quoque a prædecessore nostro piæ memorie papa Nicolao eidem monasterio collatum nostra auctoritate confirmamus, excepto duntaxat quod ipse sub nomine ancillarum Dei quæ ibidem pro crebris infestationibus seculi nunc ordinabiliter manere ne-

A quenq[ue]nt, illud delegavit : nos vero aptioris utilitatis gratia sub habitu monachorum esse congruentia decernimus. Si quis vero regum, episcoporum, sacerdotum, abbatum, judicum, comitum, aut sæcularium personarum, contra hanc nostræ institutionis paginam venire tentaverit, percussus apostolico anathemate, potestatis honoris sui dignitate careat, reumque se coram divino iudicio cognoscat, et nisi ea quæ a se male acta sunt defleverit, a sacratissimo corpore Domini nostri Jesu Christi alienus fiat, atque æterno examini districtæ ultionis subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis recipient et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant.

B Scriptum per manus Samuel notarii et scribari sanctæ Romanæ Ecclesiæ, mense Januario, indictione 15.

Datum x Kalendas Februarias per manum Samuelis notarii et scribari sanctæ Romanæ Ecclesiæ, imperante Domino nostro Landeberto piissimo Augusto a Deo coronato, magno imperatore indict. 15.

ANNO DOMINI DCCCXCVII.

ROMANUS PAPA.

NOTITIA HISTORICA.

(Apud Mansi, Conciliorum amplissima Collectio.,

Romanus patria Galesianus, patre Constantino natus, factus est pontifex anno Domini 900. Sed menses quatuor et dies viginti. Acta Stephani contra Formosum habita plane improbavit, et Ludovicum IV filium Bosonis, post fugatum Berengarium, imperatorem coronavit. (Ex Luitprando.)

ROMANI PAPÆ EPISTOLÆ.

(Mansi ubi supra.)

EPISTOLA PRIMA.

AD RICULFUM EPISCOPUM HELENENSEM.

Romanus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo Riculfo episcopo sanctæ Rossilionensis Ecclesiæ et per te in eadem venerabili Ecclesia in perpetuum.

Quoties illa a nobis concedi postulantur quæ sanctorum Ecclesiarum utilitatibus congruunt, decet nos libenti concedere animo et potentium desideriis congruunt impertiri suffragium. Et ideo, prædicti Riculfe sanctissime episcope, ad sanctorum aposto-

lorum Petri ac Pauli sanctissima limina causa orationis veniens, nostro apostolatu suggestissi quatenus eamdem sanctam, cui præesse dignosceris, Rossilionensem Ecclesiam cum cellula sancti Felicis et villa quæ vocatur Torrente, seu et villa quæ vocatur Alamannis atque Spedulia, et pro congruentia Ecclesiæ tuæ, a Tetraflita super suam claustram, atque cellulam sancti Juliani, cum aquis, molendinis, necnon terris de monte qui vocatur Auriolum, cum omnibus generaliter ad eas pertinentibus, et quidquid Miro qui dicitur comes in eamdem tuam Ecclesiam concessit, necnon et villare quod vocatur